
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
D
35
NAPOLI



SYLLOGE
RERUM PRÆCIPUARUM
TEMPORE
MATTHIÆ CÆSARIS
IN EUROPA GESTARUM;

PRÆSIDE


DN. IMMANUELE WEBERO,
PHIL. ET JUR. UTR. DOCTORE, HISTOR. PROFESS. PUBL.

RESPONDENTE

JO REINHARDO RŒDERO,
NIDDA-HASSO,

D.   DECEMBR. A. MDCCI.


PUBLICÆ VENTILATIONI SUBJECTA.





RECUS. A. MDCCXXI.

GISSÆ-HASSORUM, typis JOHANNIS MüLLERI.



RERUM PRÆCIPUARUM TEMPORE MATTHIÆ IMPERATORIS IN EUROPA GESTARUM

CAPUT PRIMUM, ELOGIUM ET FATA IMPERATORIS MATTHIÆ CONTINENS.

ARGUMENTA.

I. *Matthiæ natales.* II. *Sub quo adoleverit.* III. *Uxor.* IV. *Fit Gubernator Belgii.* V. *Est inter Candidatos Coronæ Polonicæ.* VI. *Præficitur bello Turcico.* VII. *Offenditur à Rudolpho Imperatore.* VIII. *Extorquet huic Regnum Hungariæ.* IX. *Nec non Bohemiæ.* X. *Eligitur Imperator.* XI. *Moritur.* XII. *Ejus elogium.*

§. I.

MATTHIAS, Rudolphi II. Imperatoris frater, natus Viennæ d. XXIV. Februar. D. Matthiæ sacrâ MDLVII. Patrem habuit Imperatorem Maximilianum II. Matrem verò Mariam, Caroli V. filiam.

§. II.

Adolescentia ejus ab Augerio Gisleno Busbequio, Belga, Imperatoris Ferdinandi I. ad Solymannum Imperatorem Ex-Legato, optimis moribus ac disciplinis informata, & de re militari contra Turcas instituendâ copiosè

instructa fuit. Jo. Palatius, *Aquil. Austr. part. II. L. 47. c. 2. p. 131. Venet. 1679.*

§. III.

Uxor illi fuit Anna, Consobrina, filia Archi-Ducis Ferdinandi, & Annæ Mariæ, Mantuæ Principis filia, ex quâ tamen prolem non suscepit. Obiit religiosissima tribus ante maritum mensibus. Habuit in Symbolo Laureolam, è cœlo pendentem, cum Lemmate: *manet ultimum cælo.* Id. *ibid.*

§. IV.

Hæc de primis Matthiæ ætatibus. Jam â Viro quæ gesta sunt, breviter & pro instituti ratione nobis consideranda sumemus. Inter ea primum memoratu dignum se offert in Belgium, ad capessendam illius præfecturam, abitus; ubi, quum Johannes Austriacus omnium in se concitasset odium, de sufficiendo ei Matthiâ, consilium captum est, quò A. MDLXXVII. à nonnullis è præcipua nobilitate vocatus ab initio Principem Arausiensem sibi adversantem sensit, quem d. 22. Octobris *Ruvvardum*, i. e. vi vocis, *pacis conservatorem*, Ordines declaraverant. Francisc. Haræus, *Annal. Brabantin. Tom. III. p. 265.* sed tandem, communi Ordinum suffragio, vicarium Belgii Imperium obtinuit, sub certis tamen, &, quæ novam prorsus Reipublicæ formam, Belgis nunquam usitatam, inferre videretur, conditionibus, quas latè proponit Haræus, *fol. 269 seqq.* Datus etiam fuit Archi-Duci, quia adhuc admodum adolescens, & vix vigesimum annum impleverat, Vicarius, Princeps Orangius, quô factô Supremum Gubernatorem is facilè ferebat, re ipsa id habens, quod alter nomine præ se ferebat. Meteran. Niederländ. Histor. *L. VII.* Matthias hôc, invito Cæsare & clam Rege Hispaniæ factô, utrumque vehementer offenderat, & per insequentes equites à proposito eum revocare cona-

conatus est Imperator Rudolphus, teste Fam. Strada, ***Bel. Belg. Dec. I. L. 9.*** imò multis Germaniæ Principibus mandasse eum, ut ex itinere retractum sibi mitterent, refert Nic. Isthuanfius, ***Histor. Pannon. L. XXV. p. 356.*** *Indignabantur Austriaci*, inquit Paul. Piasecius, *quod rebellibus Austriacorum Austriacus, isque Catholicus hæreticis militaret, Chronic. gestor. in Europ. p. 21.* Instigatum ad iter ab ipsius Imperatoris Chiliarcha quodam Ruebeis, refert Khevenhiller. *l. c.* & addit *ibid.* non nisi parvum Comitatum secum habuisse, in eoque duos Nobiles, Ernestum ab Eck, & Casparum de Donavviz. In Archivo Schvvarzburgio reperi, in itinere octiduo Archi-Ducem Arnstadii, apud Comitem Güntherum, commoratum, de rebus necessariis cum eo deliberasse. vid. Memoire, **vom Leben und Thaten** Güntheri Bellicosi, *p. 56.* Vix autem per quadriennium molestissimæ isti dignitati Archi-Dux præfuit. Nam quum cerneret, Hollandos dominationi Regis Hispaniæ apertè renunciare, cui proposito hactenus semper, sed frustra, obstiterat, fidei & arctæ cum Philippo propinquitatis memor, d. 22. Jun. in Ordinum consessu Antvverpiæ Gubernationis titulum spontè abdicavit, & Mense Octobri A. MDLXXXI. iterum è Belgio discessit. Strad. *l. c. Dec. II. L. 4.* Quò cum convenit, quod refert Haræus, hanc scilicet fuisse discessus causam, quod Hollandi, Hispanicô Imperiô jam planè excussô, Ducem Alenzonium vocaverint, cui, rejecto Philippo, Belgium committeretur. *l. c. fol. 314. 316.* Alias causas refert Piasecius, *nimirum Hollandos, quod Matthiæ minus fiderent, bellique inexpertem viderent (unde Belgii pupillum vocitarint) vel quod mallent talem, qui proprias facultates haberet, quas eorum nervo tunc tenui ad impensas tanti belli conjungeret, ejus pertæsos, accitis variis molestiis tædiisque fastidium muneris excitasse. l. c.* Sed possunt hæc habere locum cum cæ-

 teris,

teris, licet averſationem eam diſſimulantes, palam non niſi magnificè de eo ſenſerint Ordines. Meteran. *l. c. L. X. ad A. 1580. p. 190.* Tùm quidem præcedente anno abitum paraverat, ſed pluribus ex cauſis ad eum differendum fuit coactus. Ante abitum in ipſa reſignatione graviter Matthias ad Ordines: *Vocatum ſe non ambientem ad Belgii gubernacula, feciſſe pro ætate, quod poſſet; ſed neſcire ſe, quorum perverſis conſiliis omnia peſſum eant. Partem quidem eorum non alium Regem nec Religionem, quam Catholicam petere; ſed alios Francum fatigare; quosdam Rempublicam Venetorum, illos Helveticorum circumſpectare, ut imitentur: poſtremò eſſe, qui novos dominos novis cum divinis humanisque cupiant legibus. Hæc videre ſe diutius non poſſe, ferre multò minus. Sed videant, in quos caſus vitam fortunasque conjiciant; negotium illis eſſe cum potentiſſimo totius Europæ Rege, qui etſi centies, imò millies victus, reſurgere ſemperque acrius inſurgere poſſit. Hæc,* inquit, *à juvene vobis propoſita ad animum admittite, & amplius ſocium eſſe nolentem honeſtè dimittite. Reſtituo vobis, quicquid in me, dicto Sacramento conferre potuiſtis, poteſtatis auctoritatisque; iis utimini, ut DEO ac Regi aliquando rationes reddendas agnoſcatis.* Haræus, *l. c. fol. 316.* Mota hac oratione magna Concilii pars eum honeſto comitatu, ac munere honorario proſequi cupiebat; ſed aliis impedientibus nihil decerni potuit; quare vanâ hac ſpe deluſus Archi-Dux, dum ipſe neceſſaria parare cogebatur, abitum uſque in Menſem Martium anni ſequentis protraxit; inſtitutoque per Duſſeldorpium, Coloniam, inde per Alſatiam ac Tirolim itinere, demum Pragam pervenire voluit; ſed non annuit Frater Rudolphus, ipſi adhuc propter negocia Belgica valdè iratus, & Linzii ſubſiſtere juſſit. Tandem quidem, intercedente imprimis Matre, reconciliatum, durum tamen ſemper habuit Rudolphum, quod vel inde appa-

apparet, quod Linzii indignè admodum tractatus ne quidem id à Cæsare impetrare potuit, ut Styriam ad Anyssum hæreditario jure daret, pro quâ gratia omni prætensioni ulteriori renunciare voluit Matthias. Referam rem verbis Khevenhilleri: Es hat bey dem Kayser die angewandte Mütterliche intercession so viel gewürckt/ daß Ihre Majestät Seinen Bruder wieder zu Gnaden angenommen/ doch ihn nicht nach Prag kommen lassen/ sondern die Residenz zu Lintz benennet/ wo er so gar keine Macht gehabt/ daß er auch keinen Gärtner ohne Ihrer Majestät Bewilligung auf- oder absetzen dürffen; das dem Ertz-Hertzog also zu Hertzen gegangen/ daß Er von Ihro Majestät / für die höchste Gnad / ihm die Herrschafft Steyr im Land ob der Enß für eigenthümlich zu geben gebeten / mit Erbieten / wolle hergegen jetzig- und künfftigen An- und Zusprüchen bey allen Erb-Königreich und Ländern auf ewig renunciren. Nachdem er aber bey seinem gantzen Ertz-Hauß / Teutsch- und Spanischer Linien / durch seinen in Niederland gethanen Zug / als ein unruhiger / grosser Herrschafften begieriger Herr / in Argwohn gerathen / ist es ihm gantz abgeschlagen worden. *Annal. Ferdinand. ad A. 1581. p. 136.*

§. V.

Post obitum Stephani Batori, quum A. MDLXXXVII. de eligendo novo Poloniæ Rege ageretur, inter alios Coronæ Candidatos etiam fuit Matthias, quô tempore auspiciis fraternis in Hungaria adversus Turcam militavit, & quidem, *ex iis, qui Genti Austriacæ cupiebant, tum optimus ferè & gravissimus quisque favit Matthiæ*, inquit Reinh. Heidenstein. *Rer. Polon. L. IIX. p. 253.*

§. VI.

Ernesto Archi-Duce, qui bellum adversus Turcas, no-

mine Cæsaris, administraverat, post extinctum Alex. Farnesium Belgis præfecto, Pannonici belli cura A. MDXCIV. Matthiæ demandata fuit, quam felicibus successibus per biennium gessit, donec, ex Cæsaris voluntate, Maximiliano Archi-Duci, fratri natu minori, ea committeretur. Isthuanf. *l. c. L. XXIIX. p. 402. & XXIX. p. 431.*

§. VII.

Peperit id Cæsaris factum indignationem apud Matthiam, cui jam quoque ex aliis indiciis de animo fratris à se alieniore constabat; nec deerant, qui metui fomenta præberent. Accessit his, quod ad Comitia A. MDCIIX. Ratisbonæ celebrata Cæsar non Matthiam, quanquam Fratrem Germanum, sed Ferdinandum Patruelem, Græcensem Archi-Ducem, loco sui delegaverat, unde facilè erat Matthiæ persuadere, Fratrem ab Imperii negotiis eum procul habere velle. Et jam populi rumore intelligebatur, id agere Rudolphum, ut propediem, neglecto Matthia, Ferdinandum (nam quæ de Leopoldo perhibet Piasecius, non videntur verisimilia, *l. c. p. 259.*) in Imperio Romano reliquisque regnis successorem constitueret. Scilicet nondum subierat Cæsarem oblivio navatæ, ipso renitente, Belgis operæ, & nondum quieverat odium Regis Hispaniæ adversus Matthiam, quem sibi tantoperè invisum, &, quod metuebant, Protestantibus æquiorem, gradu demovere potius, quam ad obtinenda majora, juvare cogitabant. *Oderant illum Austriaci*, inquit Piasecius, *ab eo tempore, quo Hollandis militavit, & propterea etiam à successione in istis regnis, post Rudolphum, excludere voluerunt. l. c. p. 311.* Et speciem sanè habebat ille erga Ferdinandum favor utilitatis publicæ, quandoquidem eum jam liberos mares è Conjuge, Maria Bavarica, suscepisse constaret, de Matthia verò, nec dum ducta uxore, jam ferè quinquagenario, dubium erat, an

ætate

ætate vergente hæredes relicturus esset. Isthuanfius, *l. c. epit. L. XXXV.*

§. IIX.

Enimverò de his omnibus satis certus Matthias, & de fratris gratia desperans, nihil sibi cunctandum arbitratus, ea illius consilia antevertere seriò statuit. Ac primum quidem, conciliatis sibi A. MDCIIX. Posonii, in Conventu generali Austriæ pariter ac Hungariæ Ordinibus, qui Rudolphi, semper in solitudine ociosi, Ministrorumque arbitrio omnia relinquentis (vid. Piasecium *l. c. p. 218.*) pertæsi, novum Rectorem percupiebant, utramque ei extorsit, licet tandem, Pontifice & Electoribus intercedentibus, Ungaricam coronam Imperator ultrò tradiderit, quæ solenni inauguratione, d. 19. Novembr. ipso festo divæ Elisabethæ, Reginæ Hungariæ, Posonii Matthiæ fuit imposita. Solennitates descriptas vide apud Claud. Malingreum, *Remarques d'Histoire, p. 149.* & Piasecium, *l. c. p. 259.* qui tamen inaugurationem perperam ad initium anni MDCIX. refert. Juramentum, quod Matthias Ordinibus Hungaricis, de servanda justitia, pace & Ecclesia, populosque sibi subjectos fideliter regendo, ante Coronationem præstitit, verbis conceptis ita habet: *Nos Matthias, futurus DEO annuente Rex Hungariæ, profitemur & promittimus coram DEO & Angelis ejus, quod deinceps legem, justitiam & pacem Ecclesiæ DEI populisque nobis subjectis pro posse & nosse faciemus atque servabimus: salvo condigno misericordiæ DEI respectu: sicut in condigno fidelium nostrorum melius poterimus invenire. Pontificibus quoque Ecclesiarum DEI condignum & canonicum honorem exhibebimus, atque ea, quæ ab Imperatoribus atque Regibus Ecclesiis collata & reddita sunt, inviolabiliter observabimus; Abbatibus, Comitibus & Vasallis nostris congruum honorem, secundum consilium fidelium nostrorum, præstabimus; sic nos DEUS adjuvet, & hac*

Sacro-

Sacrosancta Ecclesia. Ap. Khevenhiller. *Annal. Ferdinand. P. VII. p. 21. seq.*

§. IX.

Neque verò sic satis sibi cautum existimavit Matthias, nisi etiam, vivente Fratre, Bohemiæ Regnum sibi cederetur, de quo jam spes facta fuerat, tributo titulo *designati Regis Bohemiæ.* Hinc novæ simultates & odia, quorum componendorum causâ licet in æstate A. MDCX. Electores nonnulli, Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis per Legatos, & Principes, Archi-Dux Maximilianus, Archi-Dux Ferdinandus, Dux Brunsvicensis, (der die meisten Schrifften in diesen negotien selbst verfasst/ und der gewest/ so hin und wieder zum Kayser und König postirt. Sunt ipsa verba Khevenhiller.) Landgravii Hass. Philippus & Ludovicus in personis, Dux Bavarus per Legatos. Khevenhiller. *Annal. Ferdinand. P. VII. p. 201.* Pragæ congregati, conceptæque conciliationis conditiones fuerint, quas habet Dan. Pareus, *Medull. hist. profan. ad h. a. p. 987.* Attamen nihil hisce actum, sed auctæ indies gravius fuerunt Matthiæ pro successione in Bohemiæ Regnum contentiones; & tum quidem maximè, quando A. MDCXI. Leopoldus Archi-Dux exercitum, occasione Juliaci collectum, Pragam traduxit, res in apertum bellum eruptura erat, nisi Cæsar pacem funesto bello præferens, etiam in hanc Matthiæ coronationem, ab Ordinibus omni studio desideratam, consensisset, quæ ejusdem anni d. XIII. Maji solenni more Pragæ peracta. Piasec. *l. c. p. 276.* Isthuanf. *l. c. epitom. L. XXXIIX. pag. 552.* Khevenhiller. *Annal. Ferdinand. P. VII. pag. 265. seqq.*

§. X.

Duorum ita regnorum compos factus Matthias tandem, mortuo Rudolpho Augusto fratre, etiam A. MDCXII. ad

ad successionem in Imperio pervenit *, die XIV. Junii in Urbe Francofurtensi solenni ritu coronatus. Circa *Capitulationem* id inprimis notandum est, quod *primus Sacramento promittere adactus* fuerit, se nunquam cogitaturum de Imperatoria dignitate hæreditario Jure in Domum Austriacam transferendâ, art. LV. unde hic articulus totidem verbis deinceps in omnes secutas Capitulationes fuit receptus. vid. Conring. *ad Lampad. part. III. c. 2. §. 4.* Lectus fuit Romanorum Imperator omnium suffragiis; an ab initio in Albertum Archi-Ducem propensioribus **, de eo nihil certi habemus. Videatur tamen Bentivoglio, *della guerra di Fiandra, part. II. princ.* Ipsam Capitulationem ab Electoribus præscriptam exhibet Dn. Jo. Christ. Müldner, in *Capitulatione Harmonica*; & *in Append. I.* deliberationes in eadem concipiendâ susceptas. Redimita quoque simul diademate, & quidem triduo post, fuit Augusta Anna, Ferdinandi Oenopontini, patrui, & Annæ Catharinæ, Mantuanæ, Filia, quam d. XXIV. Nov. præteriti anni in thorum sibi adsciverat.

B §. XI.

* Post semestre Interregnum, quô durante de Vicariatu, in Rheni partibus, Philippo Ludovico, Neoburgicos, & Johanne Bipontino, Palatinis, inter se contendentibus, posterior obtinuit: Weil aber der von Zweybrücken dabevorn von Kayserl. Majest. und dem Chur-Fürstl. Collegio zugelassen worden / ist er auch bey solchem Amt des Vicariats / wie auch der Chur-Administration verblieben. Khevenhiller. *l. c. p. 327.*

** Khevenhiller refert: Electorem Saxon. & Ecclesiasticos Electores magis in Albertum inclinasse, & ideò usque ad ejus adventum electionem distulisse; sed Archi-Ducem, ut anteverteret simultates in Domo Austriaca inde orituras, ipsum pro Matthia intercessisse. *l. c. p. 340.*

§. XI.

Imperium non integro septennio Matthias, & quidem adversâ plerumque fortunâ, administravit, vitâ functus A. MDCXIX. d. X. Mart. ætatis anno sexagesimo tertio, quem mortis terminum ex astris per sex literas M. M. M. M. M. M. quorum hic fuerit sensus: *Monarcha Mundi Matthias Mense Martio Morietur*, prænunciasse fertur Mathematicus eo tempore insignis, & Cæsari percharus Jo. Keplerus. *** Matthiæ corpus in cryptâ sub sacello Cæsareo apud PP. Capucinos intra Urbem Viennæ depositum, cujus inscriptio sepulchralis: D. O. M. S. Monumentum Augustissimi & Invictissimi Cæsaris Matthiæ, Regis Hungariæ, & Bohemiæ, & Archi-Ducis Austriæ, qui beato fine vitam & imperium conclusit XX. Mart. MDCXIX. Cometam præcessisse Matthiæ mortem refert Gio. Palazzi: *La morte di Mat-*

*** Ita quidem plerumque referunt. Longè tamen aliter rem exponit Autor *Persecutionis Ecclesiæ Bohemicæ*, impress. 1648. cui habeo, cur potius assentiar. *Narravit*, inquit Anonymus ille, *Amicis Joh. Gessenius, se, postquam A. 1618. Ordinum Bohemicorum Legatus ad Hungaros factus, in reditu captus, & Viennam deductus, sed post ab Imperatore dimissus fuerit, in carceris pariete adscripsisse literas, I. M. M. M. M. quas cum à discessu legerint varii, nec intellexerint, ingressum tandem Ferdinandum, & sic interpretatum:* Imperator Matthias Mense Martio Morietur; *simulque, arreptâ cretâ, adscripsisse itidem* Prophetiam: Jesseni, Mentiris, Mala Morte Morieris. Subjicit Autor: *Gessenium, hæc Amicis post fata Matthiæ referentem, addidisse: Ut ego mentitus non sum*, (decesserat enim, ut dictum, Matthias eodem Mense) *ita procul dubio Ferdinandus operam dabit, ne se vanum fuisse Vatem dici possit*; uti & factum, *ex Histor. Bohem.* constat. *C. 74. p. 261. seq.*

Matthias fù predeta du una cometa, che durò trenta giorni preludio della morte di Cesare, & della guerra, che principiata nella Boemia, durò per trent' anni nella Germania. Aquila Roman. nella Vita dell' Imperatore Matthias, p. 165. & *Aquilâ Austriacâ* idem Palatius, *p. II. in Matthia, f. 138.* Tribus mensibus ipsi antevertit Augusta, ne semel quidem mater facta, omnibus aliàs sui sexus ornamentis prædita, & religionis majorum perquam studiosa. Utriusque fata acceleravit ingens animi ægritudo, præcipuè ex insolenti Ferdinandi Regis facto oborta, qui Cardinalem Melch. Cleselium in ipso Palatio Imperatorio, inscio Cæsare, comprehensum in Tirolensem Comitatum deportari jussit. Habuerat eum patris instar Imperatrix; familiarissimus erat & in deliciis habitus Imperatori, sed invisus Austriacis, quod Autoritati Cæsaris adversus eorum injurias studeret, &, eo in Aula Imperatoria præsente, summam rerum, cui inhiabant, consequi se non posse viderent.**** Sic igitur, postquam à sclopetariis militibus Posonii

**** Accedebat & istud, quod inter Archi-Duces & Cardinalem Cleselium, inprimis Pragæ A. MDCXVII. in Conventu graves de præcedentia controversiæ obortæ fuerunt, dum alter alteri concedere nollet, sed utrinque rationes προεδρείας ad Imperatorem delatæ, quas exhibet Khevenhiller, *Annal. Ferdinand. P. IIX. p. 423. seqq.* Hoc loco non inconveniens erit, contenta, ceu vocant, memorialis, à Cleselio Cæsari exhibiti, ex Khevenhillero, *l. c. p. 426. seq.* adducere: Er habe zu Verhütung der itzt eingefallenen Competenz offt wieder die Promotion seiner Person zum Cardinalat gebeten; weils aber nicht geholffen / und also Ihrer Heiligkeit und Ihrer Majestät gefallen / habe er sich gleichfals gehorsamst untergeben sollen. Wessen er sich nun allzeit besorgt / sey gleich darauf beschehen / daß mit ihm die gedachte Competenz angefangen / und viel Offensiones und ungleiche Judicia hieraus erfolgt; daher er verursachet worden / Iufor-

Information von Rom / und / weil man ihn von dort aus an Cardinal von Dietrichstein gewiesen / dieselbe von ihm zu begehren. Welches er Ihrer Kayserl. Majest. derohalben gehorsamst fürbringen wollen / damit Sie gnädigst sehen könten / in was Labyrinth er sich befinde / er auch ohne dem so unglücklich sey / daß gemeiniglich seine Actiones etwas ungleicher / als anderer / verstanden / und / was andern gut geheissen / ihm nicht wolle passiret werden; welches am Römischen Hoffe gleichfals und viel leichter geschehen möchte / weil ihm aus vielen actibus bekandt / daß man selbigen Orts grosse Auffsichten gebe / und sonderlich in dieser materia hoch empfinde; sich aber selbst hinfür zu brechen / und mit denen Herrn Ertz-Hertzogen / die hernach Ihr. Kayserl. Majest. für die höchsten in ihrem Stand halte / zu competiren / wolle ihme viel weniger gebühren / zumahlen weil solches ohne das seiner Natur zuwieder / als gegen dieselben den wenigsten respect verlieren. Käme demnach zu Ihro Kayserl. Majest. billig / nicht derohalben / daß er deshalben decision begehrte / weil solches albereit / nach vielen reiffen Berathschlagungen / decidiret / und effectuiret worden / sondern allein / daß Ihre Majest. samt der Ihrigen / im Fall er das nicht würde thun können / was Ihro Majest. Dienste und negotie erfordern / Ihre Majest. solches seiner Person / als die Sie weit anders kennen / nicht / sondern vielmehr obbeschriebener Umständen wegen / und daß er nicht gern Ihre Heiligkeit / & Sacrum Collegium offendiren / eben so wenig aber mit seinem Willen Ihrer Durchleucht zuwieder seyn wolte / zuschreiben. Im Fall aber Ihre Majestät / wann Sie von ihm gern sehen wolten / daß ers thun möchte / ihm andeuten / und dasselbe bey Ihrer Heiligkeit zu verantworten über sich nehmen / auch für Ihre eigene actiones halten wolten; So solle ihm gleichfals kein actus so schwer seyn / welchen er nicht / Ihrer Kayserl. Majest. und dem Ihren höchsten Hauß zu Ehren / ohn alle difficultät / respect und Gedancken über sich nehmen wolle / weil er sich von Ihrer Majest. und Ihrem löblichen Hause des versichern könne / daß Sie allzeit die Römische Kirchen / wie an ihme selbst billig /

Posonii intentatum periculum evitaverat, Viennam reversus, alia ratione dimovendus erat, redactus scilicet in captivitatem, unde demum post triennium ope Summi Pontificis fuit liberatus. Pareus, *l. c. p. 1027*. Id suorum facinus, ubi Imperator rescivit, gravissimè animo consternatus est, sed, ipse sibi ab Archi-Ducibus metuens, simulavit, quantum pote, dolorem, nec tamen ita potuit, quin, invalescente ex melancholia morbo, quo laborabat, assiduè in lecto decumbens, subinde inter gemitus proclamârit: *reddite mihi Clefelium*. Ut inde vix fidem mereantur, quæ Palladius scribit, *Cæsarem, ubi Cardinalem abductum rescivit, indignatum fuisse primum, mox, cognitâ causâ, factum non improbasse. l. c. p. 135.* Augusta etiam tantâ mariti afflictione & insperatâ rerum vicissitudine perculsa, morbum contraxit, ex quo, uti dictum, sub finem Anni MDCXIIX. obiit.

§. XII.

Imperator fuit Matthias amplioris spei quam gloriæ, continuis adversitatum procellis per omnem vitam, tum maximè verò, ex quo imperium tenuit, jactatus. Justo erat timidior, & in exsequendis consiliis etiam optimis admodum cunctabundus, hinc illa tempestatum copia, quibus Reipublicæ navem subducere nauclero animosiori paullò atque solertiori fortassean non fuisset impossibile. Sed habent hæc excusationis nonnihil, si partim senectus morbida (quippe jam quinquagenario major Imperio admotus variis ægritudinibus affligebatur) partim temporis, quo regimen gessit, brevitas, partim ab ipsis Austriacis perpessæ afflictiones pensiculentur. Cæterum Protestantibus non

B 3 facilè,

lig/ venerirt/ und daher Ihr gantzes Hauß die Benediction empfangen/ desto mehr habe er Ursach/ sich Ihrer Majest. und Ihrem Hause/ vorberührter Condition gemäß/ zu vertrauen. Khevenhiller, *Annal. Ferdinand. P. IIX. p. 426. seq.*

facilè, nisi ubi coactus, fuit gravis. Sunt etiam, qui à singulari clementiâ, liberalitate, nec non favore in literatos commendant. Symbola ejus fuerunt sequentia: *Concordi lumine major. Amat victoria curas. Firmatum cœlitus omen.* Jo. Palatius, *l.c.f.138.*

CAPUT SECUNDUM,

INTERNA, SEU IN IMPERIO, VICINISQUE TERRIS HÆREDITARIIS GESTA COMPLECTENS.

SECTIO I.

COMITIA ET CONVENTUS.

ARGUMENTA.

I. *Comitia Ratisbonensia.* II. *Conventus Numburgensis.* III. *Conventus Protestantium Norinbergensis & Heilbrunnensis.* IV. *Conventus Imperatoris & Electoris Saxon. Dresdensis.*

§. I.

Comitia Ratisbonensia 1613.

PRimum ferè, quod Imperii causâ suscepit, negotium Cæsar, erant *Comitia Ratisbonensia,* quibus, convocatis Imperii Ordinibus, ipse, Ratisbonam A. MDCXIII. d.XXV. Jul. cum Conjuge ingressus, interfuit, cùm Norinbergæ, quod aliàs *A.B. Tit. XXIIX. §.5.* disponit, propter impedimenta legalia habere non potuerit, verbis: Wir einen solchen Hof zu Nürnberg fürzunehmen verhindert worden/ und dieser Zeit/ aus erheblichen Ehehafften/ bewegenden Ursachen diesen Unsern ersten Reichs-Tag anhero gen Regenspurg verlegt. *Recess. A. MDCXIII. §.17.* An privati tantum emolumenti sui causa, &, ut sub prætextu belli Turcici Germaniam pecuniâ emungeret, indicta hæc fuerint Comitia, Clesselio id consilii suggerente, quod Hippolithus à Lapide censet, *Rat. Stat. p. II. c. 3. sec. 3.* de eo equidem disquirere

quirere nunc non vacat. Hoc tamen certum eſt, tantum ab invaſione Turcica periculum non imminuiſſe, quantum præ ſe ferebat Imperator, ut ſuô loco audiemus; nec ex voto ſperatam ſummam eum obtinuiſſe, quum Proteſtantes omnium primò de tollendis gravaminibus*, ſub Rudolpho Imperatore jam dudum propoſitis, agi voluerint, quibus expeditis de cogenda pecunia rectius conſilium iniri poſſit. Abrupit igitur conſultationes Cæſar, &, prorogatis ad Menſem Majum anni futuri Comitiis, Auguſtæ Vindelicorum habendis, (quæ tamen non inſecuta) potiora deliberationis capita in ſuſpenſo reliquit. Vid. ***Receſſum Comitiorum ad An. MDCXIII.***

§. II.

A. MDCXIV. convenerunt Numburgi Legati Saxon. Brandenburgici, & Haſſiaci, ad renovandum pactum Confra- ***Conventus Numburgenſis 1614.***

* Summa illorum huc rediit: Onerari Evangelicos, dum ſummi Tribunalis Spirenſis & Aulici Judices faciles ſint in pœnis & proſcriptionibus decernendis, adverſæque Religionis Principibus executiones committant. Poſtulare ſe igitur, ne deinceps numero imparia vota valeant, quod ita in promtu habeant Ordines Pontificii in ordinem redigere Evangelicos, ſed vis decidendi ſit penes pares utriusque partis Suffragatores. Pallad. *l. c.* Catholici itidem ea, quibus ab Evangelicis ſe gravari putabant, urgere, ſed nihil hic utrinque actum. Erat Imperatori *Morio* quidam, dictus *Nell*, qui ut vanitatem horum Comitiorum Imperatori exprobraret, *Libellum novum* eleganter compingi curavit, eumque geſtavit ſemper manu: Cæſari, qualis eſſet roganti, reſpondit: Contineri in eo Acta Comitiorum Ratisbonenſium. Erat autem liber is ex charta munda compoſitus, cujus (cum evolveret, nihilque in eo ſcriptum reperiret Cæſar,) hanc dedit cauſam Morio: quia nihil in Comitiis actum, ego etiam nihil in libro ſcribere potui. Sigiſmund. Freyberger/ *German. perturbat. p. 3. diſc. 3. p. 22.*

fraternitatis, de quo vid. Ludolph. Schau-Bühne / *ad h. an. fol. 497. & Tom. 2. ad An. 1635. fol. 410.* it. Pufend. *Rer. Suecic. L. 20. §. 107. p. 819.*

§. III.

Nürnberg. *Correspondens*-Tag.

Exeunte Mense Januar. A. MDCXV. ab unitis, quos vocabant, Electoribus & Statibus *Norimbergæ Conventus* celebratus est, cui etiam Galliæ, Britanniæ & Daniæ Regum, nec non Ordinum Belgii confœderati Legati interfuerunt. Actum in eo tùm de aliis Imperii Statum concernentibus negotiis, tùm imprimis de magis firmando fœdere, quod *Unionis* nomine celebre, Status Protestantes, tuendæ religionis pariter ac libertatis gratia, non ita dudum inierant. Et spectat quidem nativitas hujus Unionis ad tempora Rudolphi II. Imperatoris, sed adolevit potissimum sub Matthia, uti sub Ferdinando iterum extincta est, quapropter huc facientia paucis perstringemus. Protestantes se multis modis contra jus atque fas premi jam inde ab impetrata pace religiosa multoties conquesti fuerant; augebant querelas afflictiones Evangelicorum, quas à Præsulibus, Salisburgensi, & Würtzburgensi, à Ferdinando Archi-Duce per Stiriam cæterasque provincias, ac alibi perpessi fuerant, causa item Donavverdensis, injustitia summorum Imperii Tribunalium ac alia, quæ omnia quùm crebrò, sed frustra, ad Rudolphum detulissent, tandem Status Evangelici, rebus suis prospecturi A. MDCX. *Halæ Suevorum* convenerunt. Facta ibi *Unio politica*, der Schwäbische Verein / cujus capita exhibet Limnæus, *J. P. Tom. IV. 8. n. 36.* scilicet in solam defensionem Religionis atque libertatis, si qua vis ingrueret major, in nullius verò injuriam aut oppressionem tendens; quemadmodum etiam id ipsum repetita, & in Comitiis A. MDCXIII. Imperatori Matthiæ oblata gravamina manifestè loquebantur, qui ipse, ante acceptam dignitatem Imperatoriam,

ratoriam, fœderi favit, miſſis non ſemel, qui Confœderatorum conſiliis intereſſent, Legatis, teſte W. ab Obrinca, *contra* Ungersdorff/ apud Limnæum, *l. c. num. 38.* Movit hæc Unio Romano-Catholicos quoſdam Principes, ut ipſi eodem anno, congreſſu Würtzburgi indicto, fœderi huic oppoſitum aliud, nomine *Ligæ Catholicæ*, inierint, tuendis, ut fabantur, Sacris ſuis atque ditionibus, ſi quam à Proteſtantibus ipſis vim intentari contigerit. Sed prætextus hic erat, quo ſumto ſecretò hactenus agitata nunc majore cum confidentia perfici poſſent; neque dubium ſupererat, quin de cogendis in exitium Proteſtantium viribus molimina fierent. Adegit ergò imminentium ab hâc Liga, quàm Hiſpanicis potiſſimùm & conſiliis & opibus fulciri compertum erat, malorum metus Proteſtantes, ut dicto anno *Norimbergæ* per Legatos coëuntes de remediis contra pericula conſultarint, &, quùm irritati fuiſſent nupera Aquiſgrani & Mulheimii proſcriptione, Spinolæque demandata exſecutione, quæ omnia modô legibus Imperii non conveniente facta aſſerebant, Imperatori per Saxonem ſupplicarunt, ne nimiùm connivendo Imperium Germaniæ tandem ad Hiſpanos transferri pateretur. Piaſec. *l. c. p. 292.*

§. IV.

Heilbrunnenſis Conventus.

Attamen, his etiam fruſtra tentatis, quum indies magis magiſque invaleſcere arma Hiſpanica viderent, denuò A. MDCXVII. *Heilbronnæ* congregantur plerique ſuperioris Germaniæ Principes, & præſertim de Circuli Weſtphalici, qui pene jam ab Imperio avulſus, ſalute conſilia capiunt. Malè de hoc negotio perſuaſus Imperator per literas à confœderationibus illegitimis dehortatur, ſtudiumque ſuum in diſſolvenda Liga Catholicorum pollicetur; cui ab illis reſponſum: licita eſſe, quæ agant, & Cæſarem ipſum Matthiam, antequam ad dignitatis iſtud faſtigium adſcenderit,

de unione non male sensisse, sed gravamina Unitorum sat ardua censuisse. Pareus, *l. c. p. 1020.*

§. V.

Conventus Imperatoris & Electoris Sax. Dresdensis.

Solus ferè hactenus è potentioribus Protestantibus Unioni non accesserat Joh. Georgius, Elector Saxoniæ, an, quod Cæsarianis partibus addictior, an verò ex æmulatione in Palatinum, quem pro capite fœderis socii hactenus coluerant, incertum. Hujus igitur beneficii pensandi causa, & quò in posterum sibi Saxonis favorem eò firmius pigneraret, Matthias, post peractam in Bohemia Ferdinandi Inaugurationem A. MDCXVII. Mense Augusto, unà cum Rege & Maximiliano Archi-Duce, nec non Cardinale Clesselio Dresdam profectus est. Ibi per octiduum commorati rari Hospites, præter adductas itineris causas, id egisse feruntur, *ut Electori persuaderent, ubi in arma eruptum fuerit, non religionis negotium id fore, sed solos turbidos & petulantes Calvinianos*, adversus quos odia Theologi jam abundè ingesserant, *iri coercitos.* Pufendorf. *Rer. Suecic. L. I. §. 18. 21.* Nec abs re fortè est, quod habet Piasecius: *venisse Ferdinandum, jam inde sibi suffragium pro successione in Imperio aucupaturum. l. c. p. 303.* **

** Hoc non habet dubium, cùm expressè profiteatur Khevenhiller. *Annal. Ferdinand. P. IIX. p. 466.* Zu Ende des Julii ist Käyser Matthias, mit dem König Ferdinand, und Ertz-Hertzog Maximilian, samt einigen geheimden Räthen/ zum Chur-Fürst Johann Georg von Sachsen/ denselben zu besuchen/ und der Succession im Reiche vorzubauen/ abgereiset.

SECTIO

SECTIO II.

CONTROVERSIÆ, TUMULTUS ATQUE BELLA.

ARGUMENTA.

I. *Tumultus Francofurtenses.* II. *Querela Lubeccensium contra Danos.* III. *Causa Aquisgranensis.* IV. *Controversia Mulheimiensis.* V. *Successio Juliacensis.* VI. *Turba Wormatienses.* VII. *Obsidio Brunsuici.* IIX. *Demolitio munimentorum Udenheimiensium.* IX. *Motus Bohemici & bellum.*

§. I.

IN Civitate Francofurtensi ad Mœnum A. MDCXIII. non levis Controversia Cives inter atque Senatum exorta est, de edendis publicandisque Civitatis privilegiis, de profligandis Judæis, eorumque intolerabili usura coercenda, de foro frumentario publico aperiendo, ac aliis. Negotium omne Cæsar, interposita sua auctoritate, per vicinos Principes, Archi-Episcopum Moguntinum, & Ludovicum, Hassiæ Landgravium, placida via composuit. Sed anno sequente recruduit malum, novæque turbæ, super rationibus à Senatu reddendis, & Hospitalium reditibus redintegrandis excitatæ, quibus ut cederent, quùm sedandæ plebi aliud remedium non suppeteret, Senatores omnes munere suo se abdicārunt, expilatæ etiam à furente plebe Judæorum domus, ipsique Judæi urbe excedere coacti fuerunt. Cæsar autem, misso per Caduceatorem mandato, brevi post eosdem restituit, & proscriptos seditionis Auctores Commissariorum potestati tradidit, è quibus Vincentius Fetmilch, pistor dulciarius, Conradus Gerngros, arcularius, Conradus Schoppius, sartor, aliique A. MDCXVI. ad supplicium rapti. Meteran. *l. c. L. XXXI.* Khevenhiller. *Annal. Ferdinand. P. IIX. p. 314. seqq.* Gothofrid. *Hist. Chron. P. XII. p. 1141.* Pareus, *l. c. p. 1013.* *Tumultus Francofurtensis.*

§. II.

Querela Lubeccensium contra Danos. Lubeccenses A. eodem in aula Cæsarea de impeditis à Daniæ Rege navigationibus, turbatis Commerciis, navibusque sibi ereptis conquesti fuerant. Cæsar etiam Legatis Regiis tum Viennæ præsentibus significari jussit, debere Regem Lubeccensium petitis, omni damno reparato, satisfacere, secus si evenerit, de mediis juvandi Civitatem seipsum cogitaturum esse. Sed hisce non contenti Lubeccenses, & eorum sociæ Hanseaticæ urbes, post cum unitis Belgii provinciis hac de causa *fœdus inierunt*, quo Imperator graviter offensus imperavit, ut de omni ista re quamprimum ad se referrent, & facti hujus in præjudicium sui totiusque Imperii vergentis rationes exponerent. Pareus, *l. c. p. 1002. 1015. seq* Joh. Angel. Werdenhagen, ***Rerumpubl. Hanseatic. P. III. c. 18.*** ubi etiam alia ad successum fœderis hujus spectantia legi possunt.

§. III.

Causa Aquisgranensis. Causa Aquisgranensis jam inde ab A. MDXXC. agitari cœpta (de qua consuli meretur inprimis Dav. Chytræus, *Saxon. L XX. p 690 & XXIX. p. 864.*) tandem maximo cum Evangelicorum Civium exitio armis diremta fuit. Postquam enim, latâ per Judicium Aulicum Cæsareum sententia, Senatu discedere, Sacrisque suis omninò abstinere jussi Protestantes iniquè secum agi, & contra pacem Religiosam asseruerant, Jesuitasque, præcipuos malorum Autores, urbe exturbârant, Cæsar, nequidquam obnitente Brandenburgico, & cæteris unitis Principibus Evangelicorum, causam sustinentibus, proscriptionis fulmen intentavit, missusque est ab Alberto fratre, cui executio demandata, A. MDCXIV. mense Augusto Ambrosius Spinola quum exercitu, qui, exacto Brandenburgico præsidio, omnia ad obsequium Cæsaris revocavit; Evangelicis maximam partem fugatis,

fugatis, aliquibus etiam demum A. MDCXVI. supplicio subjectis. Piasec. *l.c. p. 288.* Caspar Ens/ Niederl. Histor. *Continuat. p. 253.*

§. IV.

Controversia Mulheimiensis. Nata fuerat Controversia Colonienses inter & Juliacensium terrarum Possessores, Electorem scilicet Brandenburgicum atque Ducem Palatino-Neoburgicum, super Mulheimio, loco non ultra secundum lapidem Coloniâ distante, quem in gratiam præcipuè Reformatæ Religioni addictorum, *** in amplioris urbis formam redigere, munimentisque cingere Principes moliebantur; Agrippinenses verò, vel odio in religionem, vel quod commerciis suis inde damnum metuerent, tanquam novum opus ferre nolebant. Re igitur ad Imperatorem delata quum interdictis variis locus non daretur, sed Brandenburgicus, Jo. Sigismundus, causam ad Cameræ tribunal, ubi ventilati cœpta, remittendam, ibique decidendam contenderet (Palatino Wolfgango Wilhelmo interea post transitum ad Pontificiorum Sacra obsequium præstante) Spinola A. MDCXIV. Mense Septembri nomine Archi-Ducis, dirutis novis munimentis, Mulheimium solo æquavit. vid. Khevenhiller, *l.c. p. 294.*

§. V.

Successio Juliacensis. Ex quo Ducum Juliacensium ultimus, Joh. Wilhelmus, A. MDCIX. vitâ functus fuit, & super possessionibus maternarum terrarum diffidere cœperunt cognati Principes, Brandenburgicus Elector atque Palatinus Neoburgicus,

 Phi-

*** Quamvis in literis, quibus privilegia publicarunt Principes possessores, Art. IV. contineatur: Und wollen Wir/ neben der Römisch-Catholischen/ auch beyderley Evangelische Religionen/ und deren frey offentlich Exercitium in Kirchen und Schulen zulassen / gestatten / und deshalben nothdürfftige Versicherungen ertheilen. ap. Khevenhiller. *P. VII. p. 288.*

Philippus Ludovicus,**** uterque habuit, qui ipsius partes tuerentur, hic Catholicos atque Hispanos, ille Protestantes atque Batavos. Et quidem Batavi Neoburgico, Wolffgango Wilhelmo, post defectum ad Catholicam Religionem diffisi A. MDCXIX. Brandenburgici bonô Juliacum occuparunt, ipsô Brandenburgico etiam sua non negligente circa Cliviam, quò à Dusseldorpio impedimenta transferri fecerat. Ex parte altera Neoburgicus Dusseldorpio, ejectis Brandenburgicis, nec multò post Manheimio, & melioribus in Bergensi Ducatu oppidis propria præsidia imposuit. Piasecius, *Chron. l. c. p. 288.* Spinola etiam post exsequutiones Aquisgranensem atque Mulheimiensem Vesaliam, insigne ad Rhenum oppidum, aliaque Juliacensis dominii loca in Neoburgici gratiam subegit, uti vicissim Mauritius Nassovicus à Brandenburgico evocatus Emericum, Reesam ac alia Cliviæ nec non Marcani Comitatus pleraque. Tentata fuit sub finem ejusdem anni concordia Xanti Cliviæ oppidô, cujus capita exhibet C. Ens / *l. c. in Continuat. p. 332.* Sed Hispanorum culpâ successu res caruit, Piasec. *l. c. p. 289.* Quare, gliscentibus indies Hispanorum viribus, anno sequente Altena ac totus Comitatus Marchensis, nec non Herfordia, cum Comitatu Ravensbergensi, Hollandorum præsidia suscepit, verita ne ab Hispanis præoccuparetur, quibus paria ut facerent Hispani A. MDCXVI. Susatum & Lippiam in Westphalia, nonnullaque alia Cliviæ loca, sibi asseruerunt. In hoc statu Juliaca hæreditas aliquamdiu relicta quasi dormivit, *fessis fatigatisque irrito diu labore Conciliatoribus*, quod Grotius A. MDCXVII. Jo. Hotomanno scribebat, *Epist. Hotomannorum, part. II. Ep. 141.* & ipsis partibus

**** De aliis, qui, ex diversis fundamentis, succedendi jus prætendere, monitum fuit in Dissert. *de Rudolpho II, Sect. II. §. 13.*

tibus mox ad alia vocatis, de quibus suo loco. Confer *Supplement. Thuan. L. VII.*

§. VI.

Turba Wormatienses. *Wormatiæ* A. MDCXV. excitati ob Judæorum fœneratitiam pravitatem à Civibus tumultus, qui, Judæis licet expulsis, sedari tamen omninò non potuerunt, donec Septemvir Palatinus, Fridericus V. admoto urbi exercitu, nonnullisque exilio multatis, imminentia Magistratui (quem in exsequendo contra Judæos mandato pœnali languidiorem nimiumque Apellis faventem plebs arguebat) mala avertit. Pareus, *l. c. p. 1010.*

§. VII.

Obsidio Brunsuicensis. *Brunsuicensibus* à longo jam tempore lis fuerat cum Ducibus Luneburgicis super dominatu urbis, quem sibi hi tribuere conati, Cives verò pro libertate pugnantes concedere renuerant. Anno MDCXV. Hanoveræ primùm, deinceps Ritterhusii inter Ducem Fridericum, & Hanseaticarum Civitatum, qui pro Brunsuicensibus intercessere, Deputatos de hoc negotio actum, & pro tranquillitate retinendâ à Civibus non solùm insignis pecuniæ summa quotannis solvenda; sed & arcis in urbe condendæ facultas, aliaque quamplurima Duci oblata fuerunt, quibus penè ad aliarum Civitatum conditionem Brunsuiga redacta, nisi quod in armamentarium, vallum atque portas omne sibi jus integrum reservari voluit. Et Ducem quidem ad hæc accipienda pronum fuisse, sed annuentem à Wustrovio retractum, eoque adductum, ut nimis ampla, & vel meræ subjectionis servitutisque obsequia postulaverit, refert Werderhagen, *l. c. p. 461.* Ea ubi detrectarunt Cives, Dux, collecto tumultuario exercitu, Mense Augusto, Urbem obsidione cinxit, cui quùm in auxilium venisset copiosus non solum Belgicus, sed & urbium Hanseaticarum miles, post

habi-

habitum in campo Altfeldico conflictum, mense Octobri obsidio soluta, atque Decembri Steterburgi controversia transacta fuit. Peperit vel promovit saltim hæc causa celebre istud *fœdus urbium Hanseaticarum*, de quo *Continuat. Thuani, L. VI.* Meteranus, *L. XXXIII.* ac passim Historici, sed omnium uberrimè Werderhagen, *Hanseatic. l. c. p. 462. seqq.*

§. IIX.

Demolitio munimentorum Udenheimiensium.

Episcopus Spirensis, Philippus Christophorus de Sœderen, A. MDCXIIX. *Udenheimium* oppidum unâ leuca cum dimidiâ à Spira dissitum novis, iisque multò robustioribus, quàm quæ ante fuerant, munimentis firmare occœpit; sed id ipsum Evangelicis, præcipuè etiam Palatino Friderico ansam præbuit suspicandi, ne forte recipiendis hostibus & Hispanis ea structura fieret; idcirco, quia monstri quid alere visa, nec ferendum Electori, ut in medio Palatinatu tantæ molis opus novum, non nisi æmulationi ciendæ, & incutiendo metui idoneum conderetur, hortatus maturè est Episcopum; monuit etiam Spira urbs, sibi peculiari privilegio cautum, ne in viciniâ nova arx exstrueretur, vel antiquarum aliqua munitionibus tantoperè cresceret. Ast ubi hæc omnia surdo narrabantur, tum demum Mense Junio, adhibita vi, Elector Palatinus munimenta Udenheimio detraxit, soloque illa æquavit, editis in publicum facti sui rationibus, quod tamen nec Imperatori nec Catholicæ Ligæ sociis reliquis placuisse ex eo constare potest, quod sequente anno MDCXXIII. indultu Cæsareo opus reædificatum, & Philippoburgi nomine insignitum fuit. *Theatr. Europ. Tom. I. p. 28. seqq.* Londorp. *Act. Publ. Tom. I. L. 2. c. 17.*

§. IX.

Motus Bohemici.

In Bohemiâ Status Evangelici, seu, ut vocabantur, *sub utraque*, concessô à Rudolpho II. Imperatore privilegiô, **durch den Majestäts-Brieff** A. MDCIX. liberum Religio-

nis

nis suæ exercitium obtinuerant, quod ipsum etiam à Matthiâ Cæsare confirmatum, sed Catholicos clam pessimè habuit, qui de minuendis destruendisque Evangelicorum viribus tùm ubique consilia contulerunt. Postquam igitur templa ab Evangelicis exstructa mandato Præsulum, in oppidis Brunovico & Clostergrabiensi, eversa, & Cæsar appellatus (ad instinctum Ferdinandi, cui vix resistere ausus) his favere deprehensus fuit, Proceres Evangelici tandem A. MDCXIIX. de conservandis Juribus ac Religione Pragæ comitia indixerunt, exasperatisque graviter animis, die XXIII. Maji arcem conscendentes Guilielmum Slabatam, supremum Judicii provincialis præfectum, & Jarislaum Borzitam à Martiniz, Carolostadii Burggravium, unà cum Secretario, Philippo Fabricio, de fenestra præcipitarunt, *more gentis*, inquit Piasecius, *in puniendis proditoribus libertatum patriarum recepto, l. c. p. 313.* ex quo lapsu tamen omnes salvos evasisse mirum est, & id fortè magis, adeò eum non perturbasse Fabricium Slabatæ superinjectum, quin, civilitatis memor molestiæ veniam ab hoc petierit, si vera sunt, quæ commemorat Habernfeld, *Hist. Bohem. p. 28.* His peractis Jesuitas, turbarum auctores, regno ejecerunt, factaque sua, scriptis ad Cæsarem literis, etiam in vulgus editis, tuiti sunt. Cæsar, ne quis Principum Imperii Bohemis auxilia ferret, graviter monuit, ipse tamen, quantâ potuit, celeritate militem conscribens, ei Carolum Longovallium, Bucquoi Comitem, mox etiam ampliori cum potestate Henricum Duvallium, Comitem Dampierium, præfecit. Nec segniores Bohemi sat validum exercitum, Comitibus Matthæo Turriano, Ernesto Mansfeldio, & Mart. Schlickio commissum, defensionis suæ causâ compararunt, incitatis in societatem Silesiis, Moravis atque Lusatis. Hinc subinde velitationes ac pugnæ, ad Zaschloviam, Budevvisium ac alibi; hinc ur-

bium-expugnationes. Crumoviam Bucquojus intercepit, Pilenam Mansfeldius; Austriæ etiam terror incussus, quodum Schlickius erepta per Cæsareum militem Bohemis recuperatum penetrat, Zvetelium & alia Bohemicorum spoliorum receptacula infestat. *Theatr. Europ. Tom. I. ad A. 1618.*

CAPUT TERTIUM, INTERNA RECENSENS.

SECTIO I. ITALICA.

ARGUMENTA.

I. *Bellum Sabaudi cum Mantuano & Hispanis.* II. *Venetorum cum Uscochis & Ferdinando Archi-Duce.* III. *Periculum Venetis ab Hispanis intentatum.* IV. *Causa Vallis Telline, seu Grisonum.*

§. I.

Italiæ initiò hujus seculi halcyonia obtigerant, quæ tamen, exortis A. MDCV. circa Jurisdictionem Ecclesiasticam inter Paulum V. Pontificem & Venetos discordiis, jam in bellum erupturis, facilè perturbari poterant, frigidam strenuè suffundentibus Hispanis, nisi interventu Regis Galliæ A. MDCVII. causa composita, solis de societate Jesu Patribus à Venetorum ditione extorribus esse jussis. Piasec. *l. c. p. 233. 243. 245.* Anno demum MDCXIII. mors Ducis Mantuani, Francisci Gonzagæ, sine masculâ prole defuncti, diuturno bello initium præbuit, quod latissimè descriptum legi meretur apud Baptist. Nani, *Historia della Republica Veneta*, Gallicò idiomate vestita ab Abbate Tallemantio, sed studio partium in locis quamplurimis corruptâ, quæ editio Gallica, ut titulus refert, Coloniæ A. MDCLXXXII. impressa restituit. Ut in pauca rem redigamus,

Bellum Sabaudicum.

ea

ea ſic habet. Mortuus Mantuæ Dux ex Margareta Sabaudicâ filiam unicam Mariam reliquerat. Ad hanc, quum ex ſententia Caroli V. Imperatoris, & ex conſenſu ipſius Avi materni, Caroli Emanuelis Sabaudi, poſt matris obitum, ſpectaret Ducatus Montferatenſis, Carolus Emanuel magis de Montferato, (quod ad ſe ſpectare jam dudum aſſeruerat, uſus in hoc negotio operâ ***Antonii Fabri***, JCti, cujus de Jure Ducis Sabaudici in Ducatum Montferatenſem ſingularis extat Tractatus) quàm de nepte ſollicitus, hanc tamen, prætenſo tutelæ jure, ſibi avo educandam poſtulavit. In quod, quum Ferdinandus, Franciſci frater, & in Ducatu Mantuano ſucceſſor, conſentire nollet, ſibi potius pupillæ curam competere ratus, ad arma itum eſt. Sabaudus eodem adhuc anno Montferratum ingreſſus Trinum, Albam, Montcalbium, cum aliis occupavit; ſed collectis copiis obviam ipſi factus Mantuanus, (cujus cauſam egere adverſus Sabaudum Franciſcus Cyriacus Niger, & Fridericus Boſius) conatus ejus maturè repreſſit, &, accedentibus omnium Italiæ Principum, imò Imperatoris, Regumque Hiſpaniæ ac Galliæ, qui Sabaudum dehortabantur, ſtudiis, loca intercepta recuperavit. Ipſe etiam Sabaudus remiſſius agere, & ab armis deſiſtere cogitavit, ex quô de obtinenda nepte Hiſpani ſpem fecerant. Enimverò illuſum ſibi hic poſtea cernens, quum Hiſpanus ipſe pupillam ſuæ curæ, & matrem Mantuano Ferdinando in matrimonium dari cuperet, omnes iras, quas contra Mantuanum conceperat, A. MDCXIV. in Hiſpanos convertere decrevit. Tempeſtas indè longè maxima Italiæ metuenda, cui declinandæ non ſolùm Imperator ſevero mandato arma deponere jubet, ſed & Legati Pontificis ac Galliæ Regis officia offerunt, inſtitutis primum Vercellis de pace tractatibus, &, quùm hi non ſuccederent, in Aſtenſi urbe inſtauratis, quorum

rum capita exhibet Nani, *l. c. L. I.* circa finem hujus anni. Et quidem sic comparatæ erant pacis illæ conditiones, ut dubitatum maximoperè fuerit, an ratas illas habiturus sit Carolus Emanuel; sed habuit, *per desiderio de quiete, & per apprensione delle forze nemiche, o per consequir applausi, & intercessare nella causa suai mediatori*, ut censet Nani, *l. c. p. 55.* Hispanis contra à pace alienioribus illæ omninò displicuerunt, nec iniissent, nisi anno sequente MDCXVI. post infelicem Asti obsidionem, culpâ maximè Pro-Regis Mediolanensis, rem malè gerentes ad id faciendum coacti. Id. *l. c.* Grammond. *Hist. Gall. L. II. p. 132.* Ut autem omnis amor coactus nec sincerus, nec constans; ita brevi post iterum rupta etiam hujus pacis vinculâ, quod novus Mediolanensium Gubernator, Petrus de Toleto, in locum Iconosæ submissus leges Astiensis pacis exsequi detrectavit, & Sabaudum A. MDCXVI. de eo monentem suppliciter hoc rogare, non jure velut petere à Rege Hispaniæ jussit. Nani, *L. II. ad h. a. p. 83.* Fretus hujus ope Mantuanus æquè difficilem se in præstandis iis, ad quæ ex pacis formulâ tenebatur, præbuit; Undè nova belli classica, nova hostilitatum specimina, & quidem prioribus multò atrociora. Sabaudus enim, acceptis à Ledigierio è Delphinatu auxiliis, Hispanos ad Crevecoiam profligavit, captoque Montiliano, Pedemontio exturbavit. Quibus irritatus Toletanus Vercellas deditione cepit, Astam quoque sive dubio in potestatem suam redacturus, nisi Sabaudus, novis copiis è Galliâ & Helvetia auctus, in Mediolanensem Ducatum impetu facto Felicianum, Annonem, aliaque oppida armis subegisset, id quod Toletanum ab ulterioriuus in Pedemontio progressibus retraxit. Nani, *l. c. L. III. p. 118. seqq. p. 134.* Tandem post toties collatas vires induciæ stabilitæ, quibus durantibus, providâ inprimis Veneto-

rum,

rum, qui toto belli tempore saluti Italiæ studuerant, solertiâ de pace actum, ac tandem, procurantibus Cardinale Ludovisio, & Bethunio, illô Pontificis, hoc Christianissimi Regis Legato, pacis leges Ticini d. IX. Octobris MDCXIIX. obsignatæ, quarum capita recenset Grammond. *l. c. L. II. p. 175.*

§. II.

Bellum Venetorum cum Uscochis.

Dum hæc in Pedemontio geruntur, bellum quoque exortum est inter Austriæ Archi-Ducem, Ferdinandum, & Venetorum Rempublicam, pomum Eridos præbentibus Uscochis, Dalmatiæ populo, de quo audire juvat Nanium, sed idiomate Gallicô loquentem: *Cette nation*, inquit, *& assez noble, si l'on en considère l'origine, au moins se vantent ils d'etre descendus de certains vaillans hommes, qui voyant les Provinces voisines occupées par les Turcs, & ne pouvant souffrir le joug de ces Barbares, se refugierent dans ces montanges, pour y vivre en liberté. Ils furent ensuite transportés en divers lieux, & enfin receus par l'Empereur Ferdinand dans la ville de Segna, à condition qu'ils deffendroient cette frontiere contre les invasions des Turcs; car bienque cette place ne soit pas des plus grandes, elle est neantmoins des plus fortes par son assiette. d. l. L. I. p. 32.* Sed relinquamus Uscochis suam originem, parum fortè certitudinis habentem; nisi quod ipsi de se referunt; id tamen in confesso est, societatem cum ipsis iniisse pessimos quosque mortalium, extorres, novarum rerum cupidos, eos inprimis, qui à Venetis vel propter facinora expulsi, vel metu suppliciorum ultrò affugerunt; indè loca illa accessu difficiliora tandem prædonum piratarumque receptacula facta Christianis æque ac Turcis invisa graviaque, quod nec terra nec mari ab invasionibus eorum tuti esse potuerint. Hinc frequentes Turcarum apud Venetos, quorum est maris Adriatici securitatem

 curare,

curare, querelæ, ac tandem belli minationes & instans periculum. Venetis ipsis mala gravissima sæpè intulerunt, è quibus illud hac vice tantùm ex Jo. Palatio adducam: *Anno MDCXIV. ubi in Insulâ Papi triremis Venetorum Christophori Venerii pernoctaverat, sex celotis insulam appulsi Uscochi triremem occuparunt Remiges, milites, Nobiles omnes ad unum trucidarunt. Solus Præfectus majori reservatus ludibrio in convivio discerpebatur, intestina vorabantur, propinato ejus sanguine in poculis, vel in ejus cruore intincto pane, caput super mensam in disco expositum, ut illuderent & subsannarent. Delatum facinus ad Matthiam Imperatorem ut in vindictam, ita in pœnam eum excitavit, sed omnia tamen incassum, prædæ participatione Aulicis nonnullis corruptis.* Palatius, *l. c. in Matthiâ, p. 133.* Hinc Veneti, quùm prece per multos annos continuatâ à domo Austriacâ remedia huic malo obtinere non possent, quod Commissarii aliquoties eò missi, (1) vel ipsi sibi à feroce populo metuerent, vel (2) de prædâ partem caperent, vel (3) etiam, quod instinctu Hispanorum, ut Venetos à bello Italico arcerent, licentia illa aleretur; tandem ad arma confugientes Urbem Segnam ea parte, qua mare alluit, commeatu intercludere, & nonnulla oppida minoris momenti in potestatem suam redigere occœperunt. Et hæc hactenus quidem non animô bellum adversus Archi-Ducem suscipiendi gesta, sed ut vim vi propulsando ipsi necessitatem imponerent coercendorum Uscochorum, ad quod ultrò faciendum cum alii Principes, tum præcipuè Cæsar sæpè hortatus fuerat. Enimverò quum hisce nequidquam apud Ferdinandum, qui à nutu Aulæ Hispanicæ totus pendebat, efficeretur, sed junctæ ip sius copiæ Uscochis A. MDCXVI. jam aperto Marte hostilia exercerent, igitur Veneti in Foro-Juliensem ditionem cum maxima exercitus parte moventes Gradiscam obsidione

ne clauserunt, aucti milite Belgico, quem per longos marium anfractus Ernestus, Comes Nassovius, ipsis adduxerat. Sic igitur bello in sequentem annum protracto, vario Marte, sed Venetis iniquiore certatum fuit, qui & obsidionem Gradiscæ solvere, &, re infectâ, à Triesta portu, & Gorizio discedere coacti fuerunt. Imputata ea præcipuè Hollandorum segnitiei, qui asperioris regionis & tenuioris victus pertæsi, amisso suo duce, pactoque sibi ab Austriacis per terras reditu intempestivè Venetorum castra deseruerunt; quin nec parum horum rationes turbavit inopinus Pro-Regis Neapolitani cum Classe in mari Adriatico adventus, quò sic distractæ sunt eorum vires, ut nuspiam deinde sufficere viderentur. Tandem, ope inprimis Matthiæ Imperatoris, & urgentibus motibus Bohemicis de pacis conditionibus actum, &, simul cum Italico, A. MDCXVIII. bellum ex voto Venetorum compositum fuit. Nemo, quantum quidem nobis constat, hæc exactius Nanio, aliquoties laudato, *l. c. L. III.* è cujus versione Gallicâ nonnulla, quæ pacis exsecutionem & Uscochorum coercitionem attinent, adducere non erit dividiæ. *Le commerce,* inquit, *fut ouvert de nouveau, & cent trente trois des plus scelerats Chefs des Uscoques furent chassez, avec leurs familles. On fit brusler leurs barques, & la republique par ce moyen fut delivrée d'une vexation, qu'elle avoit soufferte plusieurs années. Le nom des Uscoques en fut en quelque fazon eteint; la pluspart furent transportés à Carlistot, & en d'autres pays plus avant dans les terres des Turcs. Le plus hardis se mirent sous la protection du Duc d'Ossune, Gouverneur de Neaple, selon ce, qu'il leurs avoit promis. l. c. p. 211. seq.* Conf. Capriata, *dell'Historia, L. IV. p. 295. seqq.*

§. III.

Periculum Venetorum.

Nondum se iis malis omninò extricârat Venetorum Respu-

Respublica, quum novo eoque exitiali penè periculo involveretur. Triumviri quippe tum temporis in perniciem Italiæ, & in oppressionem præcipuè Venetorum conspirarant, Petrus Gironius, Dux de Ossuna, Pro-Rex Neapolitanus, Petrus Toletanus, Gubernator Mediolanensis, & Alphonsus la Queva, Hispanorum apud Venetos Orator. Horum priores dum sua alibi strenuè agunt, Queva piratam quendam, Jacobum la Pierre, Nortmannum, conduxit, qui, injecto in armamentarium igne, urbem totam incenderet. Et isti quidem facinori jam dies erat præfinitus, cumque Pro-Rege Neapolitano constitutum, uti, quo tempore urbs variis in locis igne conflagraret, is cum Classe ad id in confiniis paratâ, Canalem Venetum, ab Hallioto Anglo jam exploratum, occuparet, atque ita Senatu oppresso, Venetorum respublica ex improviso penitus extingueretur. Sed detecta fuit à quibusdam facinoris atrocitate motis conspiratio, & parum aberat, quin Legatus, la Queva, in Mediolanensem Ducatum se recepturus, plebis furori dignas tanto scelere pœnas dederit, quas ab eo sumere tum temporum illorum ratio, tum generosorum consiliorum cynosura Rempublicam prohibebat. Fuere, qui vana hæc commenta asserere non erubuère; sed obstat autoritas vel sola Nanii rem omnem, prout gesta est, ita luculenter exponentis, ut à quovis extra partium studia posito non possit non adsensum impetrare, *l. c. L. III. circa fin. p. 156. edit. Venet.* Conf. Wicquefort, *l'Ambassadeur, L. I. Ch. 27.* Ludolph, Schau-Bühne/ *Tom. I. p. 654.*

§. IV.

Causa Vallis Tellinæ.

Denique cum A. MDCXIX. Vallis Tellina à Grisonibus ob Præfectorum sævitiam deficiens, Mediolanensium Ducatui (à quo A. MDXII. divulsa in præmium præstiti Mediolanensium Duci Maximiliano Sfortiæ adversus Gallos

auxilii

auxilii Rhetis perpetuo jure addicta fuerat, Piasec. *l. c. p. 37.)* se denuò adjungere vellent, nihil non commissum est à Philippo, quo Mediolano suo populum hunc denuò subjiceret. Sed steterunt à Grisonibus Galli, & A. MDCXX. in bellum disceptatio abiit, cui quum Sabaudus Venetique implicarentur, tandem A. MDCXXVI. omnibus in pristinum statum restitutis Grisones Vallis Tellinæ possessionem recuperarunt. *Theatr. Europ. Tom. I. p. 918.* Brachel. *Histor. sui tempor. L. III. p. 120.* Nani, *l. c. L. VI. p. 313.*

SECTIO II.
GALLICA.

ARGUMENTA.

I. *Mors Henrici IV.* II. *Successio Ludovici XIII.* III. *Offensa Principum ex matrimoniis Hispanicis.* IV. *Hinc bella. Condæi captivitas, & quæ inde mala.* V. *Ancræi casus.* VI. *Reginæ matris custodia, & bellum cum Filio.*

§. I.

In Galliâ Henrico IV. annus novi seculi X. denuò fatalis ac planè emortualis fuit. Quùm enim, comparato magno exercitu, multis, Hispanis præcipuè, malè de se ominandi occasionem præbuisset, (vid. l'Espion *dans les cours, Tom. I. let. 44.)* aliàs etiam de religione non seriò mutata suspectus, à Francisco Ravalliaco, cui dudum is animus, in rheda vectus gemino cultri ictu d. XIV. Maji interemptus est. *Supplement. Thuani L. III.* Meteran. *L. XXIX.* Grammond. *l. c. L. I p. 7. seqq.*

§. II.

Successorem reliquit filium Ludovicum XIII. sed, eò adhuc ætatem prætextatam agente, interea mater Maria Medicæa Regni Regens constituta habenas tenuit, donec A. MDCXIV. ipse Ludovicus easdem capesseret. *Successor Ludovicus.*

E §. III.

§. III.

Nuptiæ Principibus invisæ.

Firmandæ inter Galliam & Hiſpaniam paci mater Regina nuptias propoſuerat, 1) Ludovici cum Infante Hiſpanicâ, Annâ, Philippi III. filiâ, & 2) Philippi, Hiſpaniæ hæredis, cum Eliſabetha, Ludovici Galliæ Regis ſorore, quæ etiam confectæ; ſed ſponſa Ludovico, propter utriuſque tenellam ætatem, ante annum MDCXIX. in thorum conceſſa non fuit. Grammond. *L. III. p. 284.* Malè habebant ea matrimonia Condæum, alioſque Galliæ, Reformatæ præcipuè Religioni deditos Principes, qui inde Sacris ſuis metuebant; auxerunt ſimultates in Reginam, Ancræumque Mareſchallum, odia, nonnihil etiam fœminarum à Regina offenſarum malæ artes adjecerunt, de quibus Grammond. *L. I. p. 38.*

§. IV.

Bella cum Principibus.

Et quamvis de conciliando ſibi Condæo Rex pariter atque Regina laborârint, prohiberi tamen haud potuit, quin A. MDCXV. cum Ducibus Niverno, Longavillæo, Vindocinenſi, Mayenio, Bullionio, aliiſque, quos recenſet Bernard. *Hiſtoire du Roy Louis XIII. L. 2. n. 1.* fœdus iniverit, cujus articulos exhibet Grammond. *L. II. p. 96.* Hinc ad arma deventum; ſed, optimis Condæo ſociiſque propoſitis conditionibus, brevi pax reſtituta; cujus fiduciâ poſtquam in aulam tractus Princeps A. MDCXVI. menſe Septembri, maximè Reginæ inſtinctu, in captivitatem redactus fuit. Maximus hinc à plebe in Civitate Pariſienſi tumultus excitatus, quæ, occiſum Principem quum crederet, Ancræi Mareſchalli & Secretarii ejus ædes ſpoliavit, quâvis violentiâ mortem hanc ultura, niſi milite Regio tandem repreſſa fuiſſet. Matthieu, *Hiſtoire des Troubles L. III pag. 271. ſeq.* Offenſi etiam hâc captivitate quàm maximè illius Confœderati denuò defenſionem moliti ſunt, & nec Regiis promiſſis,

missis, quibus sibi potius & Condæo insidias strui credebant, placati copias conscripserunt, totâ penè Nobilitate & ipsa plebe ad suppetias ferendâs paratissimâ. Hinc A. MDC-XVII. mense Februario à Rege proscripti Vindocinensis, Mayenius, Bullionius, Duces & Pares Franciæ, Jayus Præses, Marchio Quevrius, eorumque sequaces, bonis eorum fisco addictis; & hæc quidem omnia Ancræi Mareschalli consiliis, qui, quæ vellet, per Reginam Matrem apud Regem efficere poterat.

§. V.

Sed desperatâ Principum salute, libertateque Galliæ in summum discrimen adductâ in momento Ancræi casus & cædes; hinc Principum salus, hinc Galliæ quies. Erat in magna apud Regem gratia Eques Luynæus, qui, detectis Ancræi fraudibus & perfidiâ, eò illum permovit, ut è vestigio de hoc occidendo statueret, quod quomodo d. XXIV. Aprilis A. MDCXVII. peractum fuerit, prolixè refert Bernard. *l. c. L. III. n. 11. 13.* Grammond. *L. II. p. 157.* Conf. quoque *Histoire des Favorits p. 1517.* Bassompiere, *P. I. p. 429.* Ancræi natales & in aula Gallica fortunas delineant Bernard. *L. II. n. 15.* & Grammond. *d. l. p. 160.* An nimia familiaritate ad amores Reginam pellexerit, adeò certum non est, & plus joci vel invidiæ, quàm veritatis sapere videtur illud; quod virgini nobili de Reginæ calantica seu velo muliebri (Gall. voile) quærenti respondisse fertur quidam ex Aulicis: *que naviere etant en ancre n'avoit pas besoin de voile:* i. e. *navem in anchora consistentem non indigere velo. La Vie de Turenne, par* du Buisson, *L. I. c. 4.* Mutata inde tota Gallici status facies, summâ rerum ad Luynæum delatâ, qui quùm reliquos duos fratres, tenuis fortunæ homines, proximo â se gradu collocaret, *trium Regum* scommate traducti sunt, de quo Grammond. *l. c. p. 171.*

Ancræi cædes.

§. VI.

Regina custodia & bellum. Regina Mater ad Blessenses discedere jussa, in custodiam abiit, sed partim ob injurias, quas sibi inferri clamavit, partim ob Ancræi cædem, vindictæ cupidissima, pertæsa custodiæ, arceque, qua detinebatur, elapsa A. MDCXIX. sub auspiciis Ducis Espernonii bellum adversus Regem paravit, adjuta inprimis à Nobilitate Aquitanica. Sed facilè id restinctum, & Regina consiliis Richelii (quem pecuniâ à Rege corruptum Nani refert, *l. c. L. VI. p. 336.*) ad amplectendam pacem inducta, quâ de Bernard. *l. c. 1. 31. 32.* Grammond. *L. III. p. 228.* & inprimis Matthieu, *l. c. p. 380. seqq.* ubi ipsas conditiones, quibus concordia ea coaluit, recenset.

SECTIO III.

HISPANICA.

ARGUMENTA.

I. *PHilippi III. pacificum ingenium.* II. *Continuatio belli Belgici & Inducia.* III. *Alia Philippi gesta.*

§. I.

Philippi III. pacificum ingenium. INitio Seculi hujus Philippus III. Hispaniæ dominabatur, qui *essendo l'animo retto, e di giustissima mente*, ut eum laudat Nanius, pace Veronensi à Patre sibi relicta fruiturus, non solum cum Gallis constanter amicitiam coluit, sed & eorum, quæ in Italia gesta sunt, non tam ipse autor fuit, quam turbulenti illi Triumviri, de quibus in *Sect. I.* modo dictum. *Credevano molti*, inquit Nani, *che ciò, che in Italia seguiva, fosse approvato piu tosto, che commesso dalla Corte di Spagna, e che provenisse da quel Triumvirato, che formavano Pietro Girone, Duca d'Ossuna, il Toledo, e la Queva, i quali con vasti pensieri tentando di proscrivere la pace, & opprimere l'Italia, l. c. L. III. in princ.*

§. II.

§. II.

Adverſus Batavos bellum à patre cœptum continuare coactus fuit, in quo memoratu digna inprimis *Victoria*, quam Hollandi A. MDC. propè *Neoportum* in Flandria obtinuerunt. *Les Lauriers de Nassau p. 218.* nec non obſidiones duarum urbium, una *Oſtendæ*, ab Hiſpanis per Ambr. Spinolam A. MDCIV. deditione captæ, cujus etiam meminerunt Meteran. *L. XXII 23 24.* & Thuan. *L. CXXXI.* Altera *Sluyſæ*, à Mauritio Auriaco Principe ad deditionem compulſæ. *Les Lauriers, p. 281.* Tandem attritis viribus Hiſpani pacis deſideria non diſſimulârunt, quæ licet tum temporis non niſi induciarum duodecennalium effectum habuerint, libertatis tamen Batavicæ incunabula in his meritò conſtituenda ſunt. Fœdus induciarum d. IX. April. A. MDCIX. confectum, ſtatimque Antvverpiæ publicatum fuit, quo de toto negotio & capitibus fœderis conſulendus H. Grotius, *Hiſt. Belg. L. XVII. & XVIII. circa fin.* Dom. Baudius, *de Induciis Belli Belgici.* Duc de Rohan, *Trutin. Europæ Differt. IV.* ac alii. *Continuatio Belli Belgici, & induciæ.*

§. III.

Inter cætera, quæ, regnante in Hiſpania Philippo, geſta ſunt, id etiam non reticendum, quod A. MDCII. Finalium, portum in Liguria non procul Genua, occupavit, Marchionibus è Carretorum familia vel plane excluſis, vel ad diſceptandum jus ſuum in aulam Cæſaream amandatis. Thuan. *L. CXXVII. ad fin.* Porrò quod A. MDCX. Maranorum novies centies millia è Regno fugaverit, idque vel ideò, quod Chriſtianam fidem mentiti, reverà tamen Maurorum, quorum poſteri, Religioni adhæſerint, vel quod cum Turca, & Henrico IV. Galliæ Rege, clam fœdera inierint. Meterani *Continuat. L. XXIX. p. 171.* Porrò eodem annô Arrachenum Caſtellum in ora Africana cepit, Thuan. *L. III. 121.* Meteran. *l. c. p. 168.* *Alia Philippi geſta.*

SECTIO IV.

BELGICA.

ARGUMENTUM.

Turba ex Arminiasmo orta.

COnjungemus cum Hispanicis Belgica, ea scilicet, quæ restant, & cum rebus Hispanicis nihil commercii habent. Cum enim de istis, nec non aliis jam passim in præcedentibus actum fuerit, cramben bis coctam adponere nolumus. Occurrunt autem silentiò non prætereundæ, quas Religio dedit, turbæ, unde ipsa, ut fieri solet, Respublica aliquamdiu graviter concussa fuit. Orta videlicet fuerat initiò Seculi inter Jacobum Arminium & Franciscum Gomarum, Theologos, inprimis de prædestinatione controversia; illi adstipulati sunt primorum plurimi, & ipsi Magistratus, dicti dein ab hoc Doctore Arminiani, & à Scripto Ordinibus exhibito, quod *Remonstrantiam* vocârant, Remonstrantes. Crevit, etiam mortuo Arminio, erga ipsius dogma tantoperè favor, ut à partibus post longas contentiones tandem ad arma conclamatum; Remonstrantium causam inprimis agente Joh. Barnefeldio, viro maximæ autoritatis, Hollandiæ & Occidentalis Frisiæ Advocato; Contra-Remonstrantium autem, ut vocabantur, Mauritio Nassovio Principe, imò eminus ipso Anglorum Rege, Jacobo, quorum uterque Barnefeldium oderant, hic quidem propter causas infra memorandas, ille verò, quod ejus majora ambientis conatibus Barnefeldius restiterat. Ultrajectini, Leidenses & Harlemenses cum instantis Synodi nationalis Dortracenæ decretis se submittere nollent, persuasi unamquamque Provinciam de religione statuere posse, idque jus vel armis tutandum, securitatis suæ causa A, MDCXVII. milites conscripserunt, autoribus, ut ferebatur, Barnefeldio, Hagerbe-

cio,

cio, Leidensium, & Hugone Grotio, Harlemensium Syndicis. Propter quod ad causam dicendam Hagam vocati, A. MDCXIX. nulla juris ratione habitâ sententiam acceperunt, & quidem Barnefeldius (vanis pro eo Regis Galliæ intercessionibus, de quibus Malingreus, *Remarques d'Histoire p. 275.*) capite plexus, Grotius verò & Hagerbecius perpetuis carceribus addicti. Extant Acta Synodi Dortracenæ, unde plenius hæc hauriri possunt, quamvis non negandum sit, multum eorum fidei pariter atque autoritati decedere, si quis Johannis Uytenbogardi Historiam Ecclesiasticam (*Kerkerlike Historie*) edit. *Amstelodam. A. 1647.* contulerit, quod patere potest vel ex solis excerptis apud Dn. Gothofred. Arnoldum, **Kirchen- und Ketzer-Histor.** *P. IV. Sect. 3. n. 7. p. 476. seqq.*

SECTIO V.
ANGLICA.

ARGUMENTA.

I. *Conspirationes in Regem Jacobum VI.* II. *Regis gesta præcipua.*

§. I.

IN Anglia (ut ab ovo Seculum ordiamur) post defunctam A. MDCII. Elisabetham Reginam, successio delata fuit Jacobo VI. Scotiæ Regi, Henrici VII. A. R. ex Margaretha filia abnepote, qui primus ad evitandam ex ordine Titulorum oriundam invidiam *Magnæ Britanniæ Regem* se appellari voluit. Vix inauguratus, in se conspirantium periculis expositus fuit, antesignano scilicet Gobhamo, Grayò, ac aliis Catholicorum Sacris addictis, qui Marchionem Arbellam, itidem è Margaretha, Henrici VII. filia, genus ducentem in ejus locum sufficere moliti fuerant. Meteran. *Tom. II. L. XX. p. 342. seqq.* Anno inde MDCIV. Jesuitæ ex Anglia

Conspirationes in Regem.

glia ejecti, sed aucta hoc ipso tantum in modum proditorum rabies, ut anno sequente ædi Monasteriensi, quâ Comitia celebrari solent, ingentem pulveris pyrii vim supposuerint, eô accensô Regem, quum maximè opportunum visum fuerit, omnesque Senatores uno velut fulmine in sublime jactatos ad internecionem deleturi. Edidit ipse Rex de hac, ut vocat, *sulphurea Conjuratione* librum, qui Operum ejus Tomo VI. continetur; & Guil. Camdemus omnia Acta collegit in peculiari scripto, cui titulus: ***Acta in Henr. Garnetum, Societatis Jesuiticæ in Anglia superiorem, qui pulvere fulminali Regem & Ordines Angliæ è medio tollere conjuravit. Londin. MDCVII.*** Conf. Thuan. *L. CXXV.* &, quæ Joh. Barclaji Euphormioni subnexa, *Seriem patefacti divinitus parricidii.* Detecto hoc scelere omnes Regni Incolæ jurare jussi sunt in sequentia capita: (I) Jacobum esse legitimum Regem, (II) in Reges nullum Papæ jus competere, (III) fidem & obsequia Regi præstanda, frendente licet & vetante Papa. Sed Juramentum ubi Pontifex irritum declaravit, Rex ipse Apologiam pro eo abs se elaboratam in publicum edidit, passim adhuc obviam.

§. II.

Alia ejus gesta.

Sic tandem ab intestinis hostibus securus tranquillitati quoque cum exteris studuit, unde insecutâ A. MDCIV. pace cum Hispanis, de quâ Goth. Arthus. *Mercur. Gallo-Belg. Tom. V. L. 4 p. 159.* Meteran. *L. XXX* non parum contulit ad Inducias Batavo-Hispanicas promovendas. Ipsis Batavis A. MDCXVI. restituit Vlissingam, Brielem, Franeckeram, aliaque loca Elisabethæ quondam oppignerata, sed invitus. Cum enim tantam à reluituris pecuniæ summam, quantam Batavos nunquam putaverat soluturos, exegisset, Barneseldius promptissima argenti oblatione astum astu delusit, unde sic ipsi infensus Rex ferebatur, ut de eo, tan-

tanquam Arminianorum antesignano opprimendo Principi Mauritio author fuerit.

SECTIO VI.
D A N I C A.

ARGUMENTA.
Bellum cum Suecis. Lites cum Lubecensibus.

CHristianus IV. initium seculi in pace transegit, donec A. MDCXI. Carolo IX. Sueciæ Regi bellum denunciaret, cujus semina & causas latè exponit Loccenius, *Histor. Suecan. L. VIII.*. Duravit id non nisi biennio, quo Danus Calmariense oppidum vi, arcem proditione Christophori Sommenii cepit. Hujus fatum secuta Borgholmia, cum totâ Oelandia, paulò post Gutberga, & tandem altera Sueciæ clavis, Elsburgum. Rebus Suecorum ita afflictis, opitulante Jacobo Angliæ Rege, mense Januario A. MDCXIII. pax hac lege coiit, ut à Rege Daniæ occupata castella & urbes pro auri millione à Suecis redimerentur. Loccen. *l. c. p. 522.* Cæterum durante hoc bello Daniæ Regem Lubecensium naves in mari Baltico infestâsse, hosque in aula Cæsarea desuper esse conquestos, jam supra *Cap. II. Sect. 2. §. 2.* commemoravimus, & possunt nonnulla huc facientia legi apud Londorpium, *Tom. I. L. I. n. 33. 34.*

SECTIO VII.
S U E C I C A.

ARGUMENTA.
Triplex bellum. Regis Matrimonium.

MOrtuo A. MDCXI. Carolo IX. (qui septuagenario licet major, brevi tamen ante obitum Daniæ Regem ad duellum provocaverat, referente Pufendorf.

Einleitung *P. II. p. 558.*) filius, Gustavus Adolphus, jam ante in Comitiis Lincopensibus A. MDC. Successor destinatus, summo Ordinum consensu Regni curam suscepit, triplici tum bello, Danico videlicet, Polonico atque Moschovico implicati. Et quidem Danicum, ut modò dictum, finiit A. MDCXIII. Moschum A. MDCXVII. arces Ivanogrodam, Janam Coporiam, Noteburgam, imò totam Ingriam, unà cum Kexholmia Finlandia Regno Sueciæ adjungens. Polonicum verò stitit A. MDCXIIX. pactis biennii induciis, eâ lege, ut interea utrinque seriò de pace ageretur. Inde domum redux, patriæ negotia curavit, & A. MDCXIX. cum Maria Eleonora Brandenburgica nuptias celebravit. Joh. El. Terserus, *in Chronolog. ad h. an.*

SECTIO IIX.
POLONICA.

ARGUMENTA.

I. *Bella cum Suecis.* II. *cum Moschis.*

§. I.

POstquam A. MDC. in Lincopensibus Comitiis Sigismundus, Polon. Rex, Johannis Sueciæ Regis filius, à Suecis repudiatus, Regnumque Carolo Sudermanno delatum fuerat, funestissimi id belli inter hosce causam præbuit. Et quidem Carolus initiò prospero rerum successu usus, totam ferè Livoniam partim vi, partim deditione, subegerat; sed, reparante Polonorum res Zamoyscio Cancellario, cui belli Livonici administratio commissa, Mars vultum mutavit, & Poloni sua omnia recuperarunt, inprimis ex quo A. MDCX. Rigæ obsidionem solvere Rex coactus apud Kerkholmiam ingenti clade afficiebatur. Piasec. *l. c. p. 192. 220.* Pufendorf. *continuirte* Einleitung/ *p. 544. 551. seqq.* Literæ Caroli &

Za-

Zamoyſcii hoc bello invicem miſſæ, contumeliarum pleniſſimæ, extant apud Reinh. Heidenſtein, *Rer. Polon. L. XII. p. 370. ſeqq.*

§. II.

Aliud bellum Sigiſmundo cum Moſchis, tuendi quidem primò Demetrii cauſa, poſtmodum verò propriô nomine geſtum eſt, ex quô, de acquirendo Filio Uladislao Moſchoviæ principatu, vel de ea planè opprimenda ſpes apparuerat. Et obtinuiſſet utique poſterius Polonus, niſi nimiâ ambitione correptus prius, ubi in manibus erat, reſpuiſſet. Nihilominus Smolenskium A. MDCXI. per vim ſubegit, &, pactis A. MDCXVIII. cum Ruſſis in annos quatuordecim induciis, Ducatus, Severienſem, Zernichovienſem & Novogradenſem ſibi retinuit. Piaſec. *p. 309.*

SECTIO IX.
MOSCHOVICA.

ARGUMENTUM.

Fata Demetrii, & in eo tutando Regis Poloniæ ſtudia.

MOrtuo in Moſchovia Theodoro Ivanovizio, malis artibus Principatum occupaverat Boriſius Gudenovius, Fratre etiam Theodori juniore Demetrio è vivis ſublato. Sed prodiit ſub initium ſeculi, qui Demetrium truculentiæ Gudenovii ſubductum, mireque conſervatum ſe diceret, opeque Jeſuitarum à Poloniæ Rege (cui perſuaſum fuerat, hunc Demetrium reſtitutum utilem ſibi fore adverſus Polonos) ſuffultus, mortuo A. MDCV. Boriſiô, Ducatum Moſchoviæ obtinuit. Sed per breve admodum tempus eâ dignitate gaviſus eſt. Poſtquam enim nimiô in Polonos ſtudiô invidiam & odium Moſchorum ſibi conflaverat, ab his pro impoſtore haberi cœpit, excitatoque tumultu in

ipsis nuptiarum solennitatibus A. MDCVI. miserè trucidatus, imperium autem in Basilium Zuskium collatum est. Neque tamen, & sic quidem secundâ morte cecidit Demetrius, quin, sparsô rumore, alium pro Demetrio in turbis occisum, denuò in vivis comparuerit. Verum id, an falsum in ambiguo est; hoc tamen certum, quod bellum cum Russis Poloni continuaverint, donec, Zuskio Polonis tradito, Demetrioque à satellitibus truncato, Principi Poloniæ Uladislao Moschoviæ Ducatus offerretur. Unde pacis spes; sed in herba extincta. Prolixè hæc, si quis alius, Thuanus *L. CXXXV. per tot.* quem à Camdeno subsidia hujus narrationis rogavisse didicimus ex Epistolâ Jo. Hotomanni ad Camdenum, quæ est inter Hotomannianas *142. P. II. p. 402.* Quid A. MDCXV. Legato Russico in aula Cæsarea, Ivano Fomnio contigerit, videri potest apud Pareum, *Medull. Hist. prof. p. 1009.* Tandem Michael Fœderowizius A. MDCXIII. magnus Moschoviæ Dux factus, initâ A. MDCXXXV. cum Suecis Polonisque pace, res Russorum utcunque reparavit. Piasec. *ad h. an. p. 457. seqq.*

SECTIO X.
HUNGARICA.

ARGUMENTA.

Bethlem Gabor Transilvaniæ Princeps constituitur, inde belli Turcici metus, quod dissuadent Ordines Hungariæ.

HActenus ab A. MDCVI. quô armistitium ad XX. annos factum, pax fuerat inter Turcam Achmet, & Imperatorem. Sed Pannoniæ A. MDCXIII. periculum à Turcis imminere videbatur ex eô, quod ejecto Transilvaniæ Principi Gabrieli Bathoreo (in cujus locum Ottomannus Bethlemum Gaborem suffecerat) Imperator Matthias opem tulerat,

rat, Gaboris autem tuendi causâ à Generali exercitus Budensis aliquot millia peditum equitumque Turcicorum in Transilvaniam adducerentur. Sed evanuit metus, ex quo Turca, datis ad Palatinum Ungariæ literis declaravit, tantum ad Principatum Gaboris stabiliendum se advenisse, nil quidquam hostilium adversus Hungariam moliturum. Piasec. *l. c. p 286.* Id quod etiam reverà sic se habuit, inprimis cum Gabriel Bathorius A. MDCXIII. à suis militibus, voluntate Imperatoris, trucidaretur. Ludolph. Schau-Bühne *ad h. a. p. 453.* Unde major multò metus, quàm periculum, imò hoc longè minus quàm Imperii Statibus ad Comitia vocatis Imperator persuadere conatus fuerat. Mezger, *Hist. Salisburg. L. V. cap. 16.* Ne tamen de jure suo in Transilvaniam omninò sine ulla animadversione cessisse videretur Cæsar, institutis anno sequente Lincii Comitiis, cum Provinciarum sui patrimonii Ordinibus, quid facto opus sit, in deliberationem ivit, *sed Hungari experti*, inquit Piasecius, *quanti ipsis constaret, fidem tali hosti datam infringere, inducias illas servandas censuerunt, maximè quod adparatus ad tantum bellum nullus in procinctu haberetur, & nonnisi longo tempore conquiri deberet, quùm tamen Turca jam satis esset instructus, &, accepto rupti fœderis responso, prius Ungariam invadere, quàm justus exercitus ipsi opponendus comparari potuisset. l. c. p. 289.* Atque hac ratione Transilvania à Regno Hungariæ tùm temporis separata.

SECTIO XI.

TURCICA.

ARGUMENTA.

Achmetes I. pacifici ingenii Princeps, pacem cum Matthia colit. A Cosaccis agitatur. Mustapha, Osmannus II. ejus successores.

MAhometi tertio in Turcia A. MDCIV. successit Achmetes I. qui non solum cum Persis, sed & cum Christianis à Patre inchoata bella prosecutus est, donec A. MDCV. cum his, & A. MDCXVII. cum illis pax iniretur. Matthiæ Imperatori A. MDCXIII. de Imperio gratulatus est, expetens simul, ut pagos quosdam ad Strigonium pertinentes sibi restitueret, nec quidquam juris in Transilvaniam amplius prætenderet. Pareus, *l. c. p. 1002.* Idem A. MDCXV. pacem cum Cæsare ad annos XX. instauravit; Pareus, *p. 1011. & 1016.* Londorp. *l c. c. 43.* aliis bellis implicitus, & à Cosaccis non leviter agitatus, qui Turcarum triremes XXIV. in Euxino cremaverant, Thraciam ipsam incursionibus infestaverant, penè usque ad mœnia Byzantina prædabundi, Najagensium Tartarorum terras diripuerant, Bythiniam vastarant, & Paphlagoniam, Trapezuntum cum portu, armamentario & triremibus, everterant. Cluver. *Epitom. Hist. in vit. Matthiæ, p. 725.* Infeliciter etiam pugnavit cum Hispanis in mari mediterraneo, & in palude Mœotide cum Cosaccis, nec non cum Persis in Asia, ubi undecim millia suorum peste ferroque amisit. Mortuus A. MDCXVII. Mustapham fratrem successorem habuit, sed quum hic tantæ moli impar, solio abactus fuisset, A. MDCXIIX. prioris filius Osmannus II. duodecennis & fervidissimi ingenii adolescens id occupavit. Cluver. *l. c. p. 726. 729.*

APPEN-

APPENDICES,
MAXIMAM PARTEM EX KHEVENHILLERO EXCERPTÆ.

APPENDIX I.
Ad pag. 8.

